

PORISMATA EX CAPITE SECUNDO.

PORISMA I.

Ad repellendam Diabolicam obsessionem media primùm Spiritualia, ac deinceps etiam naturalia adhibenda sunt.

Procesum hunc in omnibus morbis observari jubet Syracides, ut æger ante omnia conversus ad Dominum, postmodum quoque de adhibendo Medico sollicitus sit. *Fili, in Tuâ invaletudine ne despicias (Medicum,) sed ora Dominum, & ipse curabit Te. Absiste à delicto, & manum in re-cto occupa, atq; ab omni peccato cor munda. Exhibe odorem bonum, & suffitum conjunctum simillâ, & pingvem. Gratiam offer, ut qui non cœperis. Deinde Medico da locum, etenim ipsum creavit Dominus, neq; absistito ab eo, etenim opus est eo. Est interdum tempus, quo manibus ipsorum prosper successus advenit. Etenim ipsi Dominum oraturi sunt, ut det eis quietem sanitatemq; ad vitam. Eccles. XXXVIII. 9-14.* Equidem Medici Saulis parùm fuisse videntur solliciti, quomodo mediis spiritualibus suo Regi succurrerent, indeque statim ad naturalia properantes citharistam jubent accedere, qui solo Instrumenti Musici pulsu morbum leveret. Hoc factum, (nisi id velimus ignorantiam morbi adscribere,) inde suum ortum habuit, quod suæ illi nimis fisi prudentiæ rati fuerint, media naturalia felicem jamtum progressum habitura, etiamsi preces ac devoti cantus non accederent. Attamen, quod ipsi non requisiverunt, procul dubio David (utpote qui Domini Spiritu erat instructus, omnesque actiones pietate eximiâ ordiebatur ac perficiebat,) ultrò præstitit, ac medicamen spirituale cum naturali conjungens Diabolum abegit primariò sacris cantionibus, quas aut expressis verbis recitavit, aut silente ore ex pectore devoto.

voto.